

*D. D.*  
**MEDITATIONES**  
 DE  
**FLORE**  
**SCIENTIARUM**  
 IN  
**PATRIA**  
**PROMOVENDO,**  
 Quarum Partem Priorem  
*Consensu Ampliss. SENAT. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*  
 PRÆSIDE  
**D. N. PETRO ADRIANO**  
**GADD.**  
 Chem. Profess. Reg. & Ord. Rei Plant. Direct.  
 Reg. Acad. Scient. Holm. Membro. b. t. RECTO-  
 RE MAGNIFICO,  
 PRO GRADU

*Publico Examini submittit*  
 Regius Stipendiarius

**DANIEL HIRN,**  
 SAVOLAXIA FENNO

IN AUDIT. MAJORI DIE XXX. JUNII ANNI MDCCCLXIX,  
*Horis Ante Meridiem Solitis*

---

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo*  
**Dn. PAULO KROGIO,**

S. S. Theologiae DOCTORI & Dioeceseos Borgoënsis  
ARCHI-PRAEPOSITO Meritissimo.

*VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo*  
**Dn. MICHAËLI HEINTZIO,**

Pastori & PRÆPOSITO ecclesiarum quæ DEO in Sysme,  
Hardola, & Luhango colliguntur Gravissimo

*VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo*  
**Dn. JOHANNI BORGSTRÖM,**

S. S. Theologiae DOCTORI, in Gymnasio Borgoënsi  
Logices & Matheseos Lectori, nec non Consistorii Ec-  
clesiastici ADSESSORI Dignissimo.

PATRONIS Summa animi vene-

**P**ro innumeris favoris & benevolentiae documentis,  
studiorum suorum specimen, in signum submissi ac  
*Vestra* incolumitate offert

Maxime & admodum Reve-

Cultor

DANIEL

*VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo,  
Dn. Mag. BENEDICTO RUDOLPH,*

PROFESSORI Celeberrimo, Pastori & Præposito ecclesiastarum, quæ DEO in Pernâ, Forsby & Sætræsk servivunt, accuratissimo

*VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo  
Dn. Mag. PETRO BONSDORFF,*

S. S. Theologiae Lectori in Gymnasio, quod Borgoæ floret, & Consistorii Ecclesiastici Adseffori Gravissimo

*VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo  
Dn. Mag. GUSTAVO ORRÆO,*

Lingvarum Sacrarum Lectori in Gymnasio Borgoensi, & Consistorii Ecclesiastici ADSESSORI Aqvissimo

ratione Colendis, Suspiciendis.

maximisque beneficiis in se collatis, hoc qualemunque devotissimi animi, cum calidissimis votis pro perenni

rendorum Nominum vestrorum

*Humillimus*

HIRN.

*DANIEL HIRN*

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo  
**Dn. JACOBO WALLGREN,**  
Ecclesiæ quæ DEO in Laptræsk colligitur vice PASTO-  
RI Meritissimo  
Fautori Propensissimo.

**D**evotissimo mentis affectu veneror providam Summi Nu-  
minis curam, qua mibi puerulo summa inopia presso,  
Te vir Plurimum Reverende, integrros tres annos Præ-  
ceptorem babere contigit fidelissimum. Quo tempore plura  
mibi præstitisti beneficia, quam quæ a Parente exspectari  
unquam possunt. Enimvero mirum non est, si parentibus  
liberorum educatio maximæ solet esse curæ, quippe cum  
hoc officium ipsis natura ipsa sit iniunctum, id autem ego  
nunquam satis mirari potui, quod TIBI, vir Plurimum Re-  
verende, cui nulla conjunctio sanguinis mecum intercedebat,  
sine ulla compensatione laboris indefessi, tantam non solum  
studiorum, sed morum etiam meorum, curam agere pla-  
cuerit, ut illam, sine tenerrimo animi affectu, in memoriam  
revocare nequeam. Neque literas solum ipse a Te didici,  
sed, quod maximi facio, didici simul iuvenilia moderari stu-  
di, quod mibi permagno fuit emolumento, dum iniquum  
rerum mearum statum privata informatione sublevare co-  
adlus fui. Et quemadmodum ex pluribus meæ fortunæ  
auctòribus, Te, vir Plurimum Reverende, ingenue fateor  
esse maximum; ita de eo quoque sis perswasissimus, memori  
animo intime semper infixâ bærere beneficia in pristinum  
tuum Discipulum collata, qui in votis ardentissimis pro Tua  
Tuorumque omnigena salute nuncupandis, nunquam defati-  
gabitur; & ad finem usque vite permanebit

Plurimum Reverendi Nominis Tui

Cultor observantissimus  
DANIEL HIRN.



## §. I.

**Q**uamvis ea sit nostrorum temporum felicitas, ut scientiae fere singulæ ad summum fastigium perductæ esse videantur, plures tamen supersunt difficultates, nec non incommoda varia, quæ literarum ulteriora incrementa haud parum impediunt. Horum autem quam plurima eius sunt indolis, ut debita cura & diligentia removeri posse videantur. Inter ea nos quædam, quæ mentem nostram subeunt, in hac opella exponere annisi sumus. Et quamvis certo statuere non audeamus, quomodo commodissime tolli possint omnes istæ difficultates, nihil tamen minus, nostras qualescunque de ardua hac re cogitationes summa, qua fieri potest, brevitate proferre conabimur, plura rerum momenta in unam collecta summam, TIBI L. B. digito saltem monstraturi, præsertim cum & temporis & rei familiaris, qua premimur angustia, hanc nobis necessitatem imponat. Ne autem omni destituatur ordine brevis nostra pertractatio, tres diversas allegabimus causas, ex quibus saltem qua magnam partem decrementa & incrementa scientiarum derivanda esse censemus. Prima est *aptior aut difficilior scientias proponendi modus*. Altera vero *major minorve cura institutionis tam publicæ quam privatæ*. Tertia denique *ad incitamenta & præmia eruditionis pertinet, eorumque usum vel abusum*. Igitur jam de primo momento acturi, pauca adducemus, quibus observatis, scientias facilius addisci posse arbitramur.

## §. II.

Qui vel parum in disciplinarum studiis est versatus,  
A 3 facilis

facili perspicit negotio, multa scripta Philosophica, pluribus minus necessariis abundare terminis, definitionibus, distinctionibus, subtilitatibus, nec non otiosis quæstionibus, & disputationibus, quæ studiosæ iuuentutis memoriam & iudicium ita defatigant, ut prorsus fiant inepti, ad solidiora & graviora persequenda. Alii vero scriptores diffusam rem tradendi methodum amant, nec minimam circumstantiam sine prolixis ambagibus proponunt. Ne autem quidam horum, nimia sua loquacitate, alios a lectione deterreant, crebros etiam circa res nullius momenti, adhibent flosculos oratorios, adeo ut perfecto libro, nihil fere aliud quam perversum Rhetorices usum, te didicisse fateri necesse habeas. Per magni igitur interesset, ut latior redderetur facies disciplinarum, omnisque cura ad res utiliores referretur, contra vago ut inepta & supervacanea penitus rejicerentur; Cui fini obtinendo etiam id inservire posset, ut accurriori scrutamine subjicerentur ejuscemodi volumina antequam prelo mandentur. Cum vero id semper fieri non soleat, maxime necessarium studiorum cultoribus ducimus, ut mature discant discernere, illa quæ sibi & aliis profint vel minus, ne frustraneo labore, suum & si docent, aliorum tempus terant. Præstabit igitur exculto iudicio ad lectionem auctorum accedere; quocirca proiectiorum consilio utantur iuniores, nec intermittent Historiam Literariam illius scientiæ notam sibi reddere, in qua potissimum proficere cupiunt, quod studium apud nos magno cum damno incultum iacet.

## S. III.

Ut autem in patria nostra carissima, latius florerent scientiæ, longiusque promoverentur, id nulla alia re melius obtineri posse vix crediderim, quam si *Translatio earundem*

*earundem in lingvam vernaculam* mature susciperetur. Qua ex re, ut quisque facile videt, summa omnino spe-  
randa est utilitas. Nunc enim magna ætatis pars, linguis addiscendis teritur, tum autem ad tractandas scien-  
tias, illud tironum tempus adhiberi posset, quod iam  
studio lingvarum perit; quo paulatim & maturiori as-  
suefierent iudicio, & in ipsa adolescentia, maiorem  
conciperent cupiditatem literarum. Atque sic magnæ  
eslet incuria, qui saltem mediocrem rerum cognitio-  
nem sibi parare prætermitteret. Qui vero solidiori  
doctrina animum excolere cuperet, ille sine molesto  
lingvarum studio, quasi inoffenso pede in literis longi-  
us progrederetur. Summo igitur honore dignos viros  
de patria meritissimos censemus, qui recentiori ævo  
pluribus scriptis Philosophicis Svecano sermone evulgatis,  
iis imprimis civium suorum profuerunt, quibus  
tempus & occasio lingvam Latinam, aliasque exoticas,  
addiscendi defuit. Sed nondum horum benigna voluntate  
peracta est res, quæ sine dubio plurium assiduitatem &  
solertiam requirit. Si enim, ut jam fieri solet,  
non nisi unus alterve libellus quotannis editur, certe  
non seculi spatio sufficiens institutio iuventutis vernaculo  
tantum sermone locum habere poterit. Evidem  
non dubito, quin hæc ipsa res breviori tempore, quamvis  
majori labore, ita perfici posset, ut saltem solidior  
eiuslibet discipline cognitio lingua vernacula obtinere-  
tur. Difficultates minores, quæ huic proposito obstat  
videntur, merito hæc vice præterimus, unam tantummodo  
afferentes, illam nempe, quam in transferendis  
scientiis parere videntur Ternini Technici. Ut autem  
taceam, multis nos commode carere posse, nec esse  
tanti hanc rem ut putant nonnulli, patet triplici modo  
imprimis hoc incommodum remoyer. Aut enim voces

Latina

Latīna, addita tantum terminationē Sveca essent retinendæ, ut optimo successu factum esse comperimus in Māthesi, quod apprime tum obtinet, ubi res vulgo ignotæ, tamen definitione sunt explicandæ; Aut vocabulis Svecis præter significatum vulgarem, novus significatus Philosophicus esset imponendus; Aut denique nova vocabula scientifica per compositionem formanda. Quam triplicem viam a viris eruditissimis, qui recentiori ævo Literaturam Sveciam locupletarunt cum successu servatam esse videmus, ut taceam idem quoque in aliis linguis factum esse.

## §. IV.

Sed liceat mihi tuo B. L. maturiori iudicio subjicere, annon videretur esse consultum, ut publica auctoritate, primo quo fieri posset tempore, hæc *scientiarum Translatio* ceu res maxime necessaria, serio procuraretur? Qua autem ratione hoc commodissime effici possit, ego neutquam dicere ausim. Quid si societas quædam publica huic fini obtainendo institueretur, vel si viris doctis laboris mercede, & præmiis propositis totum hoc negotium committeretur, qui optimos in qualibet scientia libros transferrent, aut statim novos ederent; Quodque aliis licere deberet terminos ab ipsis receptos emendare, donec successu temporis certi quidam termini communī usu adhiberi possent. Si vero aliquis timeret, modo iam nominato nimiam varietatem & multitudinem Terminorum exsurgere, cum unus hos, alter alios adhiberet, forte ei hoc potius placeret consilium, quod viri eruditii non integros libros, sed tantum plures catalogos terminorum maxime necessariorum cujusque disciplinæ contexerent, quodque isti cata-

¶ 9. ¶

cata'ogi, ulteriori doctissimorum virorum disquisitio-  
ni subjicerentur, quorum esset, terminos rebus designan-  
dis aptissimos retinere, quibus sic mox in scientiis uti  
liceret. De CICERONE accepimus, quod ipsius indu-  
stria, scientiarē brevi tempore e Græco sermone in Lat-  
inum fuerint translatæ; quid obstat quo minus & nos  
eodem successu tam laudanda premamus vestigia? Quam-  
quam vero sic Translationem summopere commendemus,  
nemo tamen credat, nos oblivionem elegantissimæ lin-  
gvæ Latinæ cæterarumque lingvarum urgere, verum  
potius velle, ut quidam lingvarum peritissimi semper  
existant, quorum opera non quidem omnia verum  
maxime proficua exterorum scripta, vel saltem eorum  
dem contenta, & quod præcipuum in quaque scientia  
trahit momentum, idiomate Sveco sensim & semper  
redderentur. Constat enim, Græcos eodem modo sci-  
entias perpetuo flore intra se conservasse.

§. V.

Ordinis iam exigit ratio, ut de *Institutione tam publi-  
ca quam privata* paucissima moneamus, quæ ad scien-  
tiarum incrementa non parum facere arbitramur. Mox  
autem patet, quam maxime promoveri posse scientiarum  
florem, si manuductionis privatæ, Scholarum, Gymna-  
siorum, & Academiarum, summa geratur cura, in qui-  
bus sapientiæ officini, ingenia iuvenum ad scientias &  
artes excolendas apta reddentur. Maxime igitur e re est,  
ne munus docendi aliis quam studiosis eruditissimis,  
probis, & morum integritate conspicuis permittatur.  
Quod tamen saepe secus fieri circa privatam imprimis  
informationem animadvertisimus. Saepè enim carissima  
Reipublicæ pignora iuvenum inconstantium curæ com-  
mittuntur, qui prater temeritatem, nihil fere aliud di-  
dicere,

dicere, quam vocabula quædam Gallica hæsitante lingua  
pronuntiare, sed quæsti de Philosophia Morali, Historia  
Politica & naturali, nec non Iure Publico Patriæ, aliis-  
que scientiis, spissam produnt ignorantiam. Merito i-  
gitur iis assentimur, qui non nisi viros examinatos, &  
hujus rei nactos libertatem, ad institutionem privatam,  
æque ac publicam admittendos esse vident. Quocirca  
nec inconveniens videretur, ut publicum aliquod aucto-  
ramentum, vel honoris, vel lautoris conditionis, iis  
etiam adiudicaretur, qui digne officio suo privatis in-  
formationibus præfuerunt.

## §. VI.

Scholas quod attinet tam Triviales quam Chathe-  
drales, longe jam alia est earum conditio, quam esse  
deberet. Raro enim iuvenes melioris sortis in iis eru-  
diri videbis. Et, quamquam lubens fateor, illud sepe  
vana parentum ambitione fieri, atramen id quoque alias  
ob causas, & quidem gravissimas contingere solet. Præ-  
cipua est quod pueri nullo habito respectu ætatis, mo-  
rum, progressuum, & conditionis externæ, non solum  
pari ratione & nimis abiekte habeantur, verum etiam  
diutius sepe retineantur, qui nec aptitudinem, nec ani-  
mum discendi habeant. Atque sic ex tædio laboris  
negligentia, ex hac autem vitia quam plurima gignun-  
tur, adeo ut verissimum sit, quod trito fertur proverbio:  
*Homines nihil agendo male agere discunt.* Quod cum ita  
sit, nemini mirum videbitur, parentes nonnisi urgente  
necessitate, in ejusmodi coetus liberos sios adducere  
velle, quorum de salute non posunt non esse solliciti.  
Quid mirum si plurimi iuvenes, qui studia tam cruda  
in Academiam protulerunt, tandem inutilia evadant  
terrae

¶ ) II ( ¶

terræ pondera? Quis autem est, qui simul non videt, tollenda esse hæc & alia ejusmodi incommoda, quantum fieri potest. Major quidem ingeniorum selectus in *Gymnasio* fieri solet, in quibus tamen easdem fere adhibendas esse cautiones facile patet, quas hactenus de Scholis tradidimus.

### §. VII.

Sed forte sciunctum a re poposita non videbitur, si verbo tantum nostram mentem de Institutione Scholastica explicuerimus. Scilicet: apprime utile esse censemus, ut Docentes omnem evitarent πολυπαγυσσων in docendo, & esent solliciti de studiis literarum non festinandi sed potius maturandis. Cui fini optime inserviret, si puerorum iudicium a prima ætate etiam in Catechetis sic exerceretur, ut nihil e memoria, sine attentione ipsis recitare liceret; quamobrem haud inconveniens esset, præcepta *Decalogi*, primum ex dictis S:rae S:rae explicare, & simul eorundem convenientiam cum principiis justi & honesti ostendere, quo melius aliquali cognitione officiorum sibi & aliis præstandorum imbuerentur tirones. Ut vero ordine cuncta fierent, præstaret pueros, absoluto libro Catechetico, primum in Historia, Geographia, Historia Naturali, & aliis ejuscemodi rebus, exercere, quæ illa ætate facilius memoria mandantur. Deinde autem generalia præcepta Logices Iuventuti Scholasticae tradenda essent, facta simul ad Mathesin aliqua applicatione. Hoc fundamento studiorum posito, cæteras disciplinas faciliori negotio familiares reddi, multiplex docet experientia.

### §. VIII.

Academiarum constitutiones eo spectare quis nescit, ut in his Musarum publicis palestris iuvenes frequenter illæ

tissimi convenient, ut sic artes & scientias fere omnes  
 quasi ex plenis fontibus affluentius ipsis haurire liceat;  
 qua etiam ex causa haec supremæ disciplinarum offici-  
 nae, illustri universitatum nomine insigniri solent. Quo-  
 que majoribus immunitatibus, privilegiis, & subsidiis  
 publicis, easdem videmus suffultas, eo majori studio  
 curandum est, ut omni qua fieri potest ratione, quæ-  
 vis bonarum artium studia in iis ad summam perducantur  
 perfectionem; quæ perfectio non solum ex Theore-  
 retica scientiarum cognitione, sed simul ex earundem  
 ad praxin applicatione aestimari deberet; qua scilicet  
 singulis functionibus, in vita Civili maxime necessariis,  
 eximum praestarent usum. Nec alioquin satis accom-  
 modata nobis videtur ipsa forma institutionis publicæ  
 in Academiis ad ipsam secessum munerum. Hæc enim  
 multum variat pro vitæ necessitatibus sublevandis &  
 munerum diversitate, illa autem uniformis est, ut sic dicam,  
 & secundum quatror Facultates Academicas disposita. Non  
 negamus ex his quatror fontibus dimanare riyulos &  
 usum ad omnia genera officiorum in Republica; neque  
 urgemos, ut numerus facultatum augeatur pro numero  
 officiorum, sed monemus tantum formam institutio-  
 num solitam, debere accuratius exprimere ea, quæ mu-  
 neribus usui esse possunt. e. g. res nautica, res metalli-  
 ca, res militaris, doceri deberet in Academiis, ut nemo  
 nisi qui principia harum disciplinarum rite hauisset,  
 ad munus publicum obeundum admitteretur. Quam-  
 din enim nulla est ejusmodi specialis applicatio insti-  
 tutionis, ad negotia quælibet sive privata sive publica  
 dextre peragenda, tamdiu utilissima pars eruditionis de-  
 sideratur. Et quod hanc ad Academias rarius compara-  
 ri cognitionem homines putent, ratio est cur exceptis  
 illis, neque tamen omnibus, qui in ordine Sacerdotali  
 aut

aut Scholastico promoveri cipiunt, paucos satis reliquorum qui aliis vitae generibus sese applicant, studiis ut pote parum sibi profuturis, serio incumbere deprehendamus. Licet autem eorum, qui munera ambiunt publica, numerum satis copiosum, auctum non cupiamus; tamen studiosorum in Academiis minui multitudinem ægre ferimus & hinc fieri, ut maximi Regii sumitus, & plurius Professorum assiduus labor, qui neque lato & alacri animo continuari sic potest fere incassum impendatur, numero auditorum numerum parietum, interdum vix excedente. Qua in re cavendum etiam diligentius es-  
set, ne libertas Academica in licentiam prorsus degeneraret. Sæpe enim iuvenes qui maturo nondum gaudent iudicio, sic fibimetipsis relinquentur, ut nullus fere vel de moribus, vel progressibus eorum quærat, nisi admodum sint effrenati, vel etiam tam supina negligentia noti, ut nullas plane exaudiant lectiones. Vix enim alia lege ad officia sua præstanta adiguntur quam hac:  
*Cui lubet, licet.* Diligentiores autem iuvenum curam in Academiis & agi debere & posse quis non videt? Nihil enim mihi videtur iniquius, quam quod adolescentes, quorum multi eximia sunt spe, ubi & ad ingenium & ad mores excolendos poliendosque confluunt, in summum Civitatis & Rei Literariae damnum incuria perdantur, aut saltem ipsorum tempus frustra consumatur. Maxime igitur necessarium esset, ut saepius quam fieri solet, rationem studiorum suorum reddere tenerentur Cives Academicci, utque consilio Professorum, certum vitae genus mature sibi eligerent, quo melius durantibus annis Academicis, in iis addiscendis operari collocare possent, quæ in vita Civili maxime ipsis profutura essent.

Quamvis nondum animus nobis sit, de præmiis eruditionis ex professo agendi, illud tamen in genere notamus, scientiarum florem maxime pendere ex modo, quo distribuantur honores, tam Academici, quam Civiles.

Ut enim honoribus quamdiu rari sunt, & non effusi, & ipsi quibus honores obtinuisse contingit, ad honesta & præclara quævis suscipienda, & cæteri ad imitationem eorum incitantur; ita si ratio æQUITATIS cessat, ut præmia dentur non bene meritis, vilescere incipiunt, fine, ob quem fuerunt primitus proposita, minime obtento. Ad honores vero Philosophicos quod attinet, posse eos idem subire fatum, si per effrenam licentiam prodigantur, non est cur negemus. At dicere quo modo vitia si quæ heic irreplerint sic eradicentur, ut & rite studiis, & promovenda eorum felicitati qui vere digni sunt præmiis Philosophicis, consulatur, majorem requirit disquisitionem, quam hæ pagella patiuntur; Imprimis cum res, ex causis suis altius esset repetenda, si quid consilii adferretur *abolendis abusibus*, quos omnes suos habere *Tropicos*, magnus ille *Werulamius* ait. Adeoque nonnullorum conatus & industria, sere hic se habet, ut *mercurius in bivio*, qui *digitum potest in viam intendere, pedem inferre non potest.*

## §. X.

Nobiles autem qui in Republica summos plerumque obtainere solent honores Civiles, certe in id incumbere deberent, omnes, ut tantum doctrina aliis præcelerent, quantum cæteroquin præcellunt claritudine generis; qua æmulatione non parum & propria & aliorum studia promoverent. Veneramur tamen viros, non solum

solum nobilitate generis; sed etiam eruditionis laude claros, qui litteris & eruditioni iustum pretium statuerē didicere. Qui vero illa ducuntur opinione, quasi ob splendidos natales, seposita licet cultura animi, ad honores publicos nihilominus præ ceteris admoveri debeant, illi certe generoso isti sanguini plus quam decet, tribuant. Maximum enim calcar ad animum excolendum, omnibus esset iuvenibus, si scirent, vel opes, vel artificia, vel nobilitatem, nihil omnino valere, ad honores in Republica consequendos, nisi animum doctrina excolere studerent. Igitur Imperator CAROLUS MAGNUS, cum in Academia Parisiensi tenuiorum filios præter spem profecisse, nobiles autem literarum studia neglexisse comperisset, illis ad dextram segregatis, in hunc modum dixisse fertur: *Vos equidem matxi virtute estote filioi pientissimi, qui nostro imperio gnaviter defuncti estis, vestra erant sacerdotia & Pontificatus maximi, Ego vos in aulam meam adsciscam: ex vobis in senatorum album referam, iudices Praetoresque constituam. At vos comatuli (ad nobilium filios conversus) & delicatuli, opibus paternis ac nobilitate freti qui nostra voluntati non paruistis, ac potius otium labori & luxum vitiaque virtuti prætulisti; DEum ego testor immortalem, nihil penitus commodi honorisque ad vos a me profecturum: quinimo statuam vos in exempla, nisi respueritis, ac negligentiam diligentia expiaveritis.* Tam seriam admonitionem suo carere fructu quis crederet? Si enim aliquando contingeret, ut nobili genere nati, sed nulli vel exigua rerum cognitione prædicti, ceteris civibus solidiori doctrina ornatis, in singulis functionibus civilibus pallam præriperent, certe illa res scientiis, maximam minitaretur pestem ac perniciem. Non enim æquo animo ferre possent ceteri, quod labore & studio suo oleum,

um, uti dicitur & operam perderent, quodque sola na-  
scendi conditio plus valeret quam solida scientia; unde  
mox horrenda irrueret barbaries, quæ utinam longe  
abesset!

Quo modo autem ad diligentiam incitentur iu-  
venes, & qua ratione instituenda sint ipsa præmia eru-  
ditionis, id alia occasione paulo prolixius, si DEO  
placuerit, delineare conabimur.

AUCTORI CLARISSIMO

**T**eretur hæc charta, & peribunt hæc lineolæ, sed constan-  
tissima manebit amicitia illa tenerima, qua **TIBI**  
alterum specimen Academicum edituro, ex animo gratulan-  
tur Amici Tui Fidelissimi

C. N. HELLENIUS. B. I. IGNATIUS. TH. MATHEISZEN.